



## **Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi**

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

**Camargo, Ignacio de**

**[S.l.], 1702**

Articulus IV. Sovuntur Recentiorum argumenta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)

sententiæ, in qua proinde tota invenitur quidditas, & essentia benignæ probabilitatis, non sit recta regula agendi, neque sufficiens ad honestè operandum, sequitur evidentè, principium illud, *Licet uti opinione minus tuta, & simul aequè, aut minùs operanti probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis sit* (quod ipsa est benigna sententia) sic indefinitè prolatum, & nulla coarctatum limitatione absolute, & simpliciter esse, falsum. Unde oportebit, ut Recentiores certum aliquem modum illi præfigant, & ut designent nobis determinatum aliquem gradum, infra quem probabilitas depressa intra terminos proprios benignæ probabilitatis, non sit recta regula agendi, neque sufficiat ad honestè operandum.

48. Quem verò designabunt, aut ex quibus principiis? Profectò nulum poterunt, nisi tota semel soluta mirifici artificii compage, cuncta principia sua evertendo, terminos repugnantes implicando, ac demùm sibi ipsis passim, & millies contradicendo. An non in terminis ipsis implicat, aliquam opinionem esse verè probabilem in via Probabilistarum, & non esse dictamen verè prudens? Nunquid non evidens contradictio est agere quem ex pratico dictamine prudentiæ, & simul malè, & imprudenter agere?

49. Sed enim quid moremur? Vel Recentiores per suam benignam sententiam approbant, tanquam verè probabiles, adeoque, tanquam rectam agendi regulam, aliquas opiniones verè improbables, scandalosas, & perniciosas, proptereaque damnabiles, ac de facto damnatas ab Ecclesia; vel nullas ejusmodi approbant, post damnationem saltem ipsarum? Primum patet dici non posse à viris orthodoxis, ac piis. Si verò secundum dicatur, ut dici sine optione debet: ergo juxta Probabilistas in ipsis terminis debet implicare, aliquam opinionem esse verè probabilem in sensu benignæ sententiæ, &

simul esse verè absolute improbabilem, scandalosam, ac perniciosam, & ut talem damnatam, aut damnabilem. Quid evidentius? Profectò, si quis negat, vel abjurat simpliciter Probabilissimum, vel certè terminos non intelligere videtur.

50. Tum sic. At constat (datà semel hypothesi, ad quam coguntur Probabilistæ) aliquas opiniones verè, ac certò probabiles in sensu benignæ sententiæ, non esse verè absolute probabiles; sed potius verè esse, scandalosas, & animabus in praxi perniciosas, proptereaque de facto ab Ecclesia damnatas, nempe opiniones tenuiter probabiles; quas nimirum, & esse necessariò admittendas intra terminos proprios ipsius sententiæ benignæ, & simul per Decretum Pontificium, quo damnatur articulus de praxi tenuis probabilitatis: directè, atque signanter esse damnatas, satis à nobis ostensum est. Ergo benigna Recentiorum sententia, quæ ejusmodi opiniones approbat, tanquam verè probabiles, adeoque, tanquam rectam agendi regulam, eodem Pontificio Decreto virtualiter saltem damnatur.

#### ARTICULUS IV.

*Solvuntur Recentiorum argumenta.*

##### §. I.

*Ad argumentum secundum Recentioris propositum ad articulum primum.*

51. **I**llud verò mirabilem, ac plannè prodigiosam doctrinam continet, nimirum immoderatam novi Probabilissimi benignitatè, quæ legem Dei odiosam, adeoque restringendam, ducit, & dicit, ut in omni dubio morali libertatem agendi quidquid libeat, atque adeò exemptionem ab ipsa lege, hominibus indulgeat, & statuat. Odiosam puta

be.

benignitatem istam, qui legem Dei non oderit, facile judicabit.

52. Porro opiniones tenuiter probabiles in sensu benignæ sententiæ indubitanter esse damnatas, tanquam scandalosas, ac perniciosas, nec aliter exponi, nisi importunè, ac violenter, posse Decretum Apostolicæ Sedis, quo praxis tenuis probabilitatis damnatur, luculenter, ut reor, & solidè in superioribus ostensum est. Quare argumentum Recentioris in primis assumit manifestè falsum, adeoque nihil posse rectè concludere, quamvis principium illud reflexum, ex quo Recentior argumentatur (nimirum, quod in dubio de sensu Decreti damnantis nulla opinio damnata censeretur debeat, sed probabilis potius, ut erat antea, & immunis ab omni suspitione, vel notâ) verum foret; quod tamen, quam longissimè abest à veritate.

53. Enimverò principium illud esse falsum, & à sana doctrina alienum, convincitur, non modò ex generali, ac certa doctrina, quam lib. præced. firmavimus, & in secunda nostri Operis parte ex multis decisionibus Juris Canonici uberius sumus comprobaturi, videlicet, quod in dubiis conscientiæ tutiorem sententiam tenere debeamus; sed etiam specialiter in præsentia materia.

54. Utrique dubitare, an aliqua moralis opinio damnata sit re ipsa, nec ne, tanquam scandalosa, & perniciosa in praxi, per Sedis Apostolicæ sententiam infallibilem, est dubitare, an praxis illius sit re ipsa pestifera, & exitialis, an potius sana, tuta, & innoxia? In isto verò dubio quis dicat favendum esse ejusmodi opinionibus, & Auctoribus illas docentibus, veluti reis in judicium vocatis, & pronuntiandum semper contra Decretum Apostolicæ Sedis, veluti contra legem odiosam, & omnimodis restringendam? Nulla profectò iniquior, & indignior existimatio.

55. Nempè, si opinio illa, de cu-

jus damnatione dubitatur; damnata sit re ipsa, & pronuntiatur à damnatione immunis, adeoque verè probabilis, & tuta, favetur morali doctrinæ pestiferæ re ipsa, & insidians conscientiis hominum in veram ipsorum perniciem: si autem sit re vera à damnatione libera, & dicitur cavenda, ac vitanda tanquam doctrina dubia, & suspecta in reverentiam Decreti Apostolici curantis animarum salutem ex pastoralis sollicitudine, & providentiâ verè paternâ præcaventis pericula conscientiarum, restringitur tantillam libertas nostra citrà omne aliud incommodum. Hæc sunt extrema, inter quæ versamur, & hæc sunt, quæ in hoc dubio imminet utrinque pericula. Et tamen, cum utrunque nequeat vitari, sed alterutrum sit omnino eligendum, pronuntiatur, posterius omnino esse vitandum, & prius illud esse amplectendum. O benignam Theologiam Recentiorum! O mirum patrocinium libertatis humanæ! Nonne tanta fallacis, & noxiæ libertatis sollicitudo veræ salutis dispendium est?

56. Itaque nos non volumus, ut moralis opinio, de cujus damnatione dubitatur, dicatur absolute, ac directè damnata, nam hoc non nisi temerè, sed solum ne dicatur probabilis, aut tuta, proindeque, ut dicatur periculosa, & omnino fugienda: ad hoc enim non est necesse, ut certa sit ipsius damnatio, sed sufficit, quod operans prudenter judicare non possit, illam esse doctrinam sanam, & immunem ab omni damnatione; sicut ægror, si prudens sit, & verè amet salutem corporis, non solum abstinere à cibo, quem noxiam esse judicat, & à medico sibi prohibitum, verum etiam ab illo de quo dubitat, an sibi noxius, & prohibitus sit. Utrique moralis opinio dubia, ac suspecta de damnatione, non potest esse operanti probabilis, atque adeo nec tuta regula agendi.

57. Ubi notanda est Recentioris

Q9

con-

contradictio. Ipse nanque fatetur, & supponit, opinionem moralem non probabilis saltem, sed dubiæ tantum probabilis, non esse rectam conscientiae regulam; immò verò praxim ipsius directè, atque signanter esse damnatam sub memorato articulo de praxi tenuis probabilis. Aliunde verò docet, opinionem, de cuius damnatione dubitatur, hoc ipso non censendam damnatam, & immunem ab omni nota, adeoque rectam agendi regulam, perinde ac erat ante damnationem.

58. Quid ergo? opinio, de qua dubitatur, utrum re ipsa damnata sit, potest non esse dubiè probabilis? Equidem dubitare, utrum aliqua opinio damnata sit per præfata Decreta Pontificia, est dubitare, an sit scandalosa, & animabus in praxi perniciosa. Stante verò hoc dubio, potest ne opinio aliqua probabilis, & tutæ censeri? Quis annuat? Nunquid tutum, ac probabile est approbare, & amplecti, quod nescias, an perniciem animabus sit allaturum? Sunt ergo apertè secum pugnancia illa Recentioris asserta.

59. Nec exemplum productum de delicto, vel reo dubio, aliquid probat. Nam in dubio delicti reus absolvitur, hoc est, non condemnatur, neque punitur (saltem penam ordinariâ); quod est æquissimum, & tutissimum iudici, ne fortè puniat hominem innocentem: non tamen idè ipsum innocentem pronuntiat, quin neque potest, sed solum non convictum, quæ valde inter se differunt, ut nemo ignorat. Hinc verò quid deducere licet ad propositum Recentioris? Planè nihil, nisi evidentem assertionis ipsius falsitatem?

Patet ergo, principium illud reflexum, ex quo Recentior argumentatur, esse falsum, & à sana doctrina alienum.

## §. II.

*Ad aliud argumentum vulgare  
eiusdem, & aliorum Re-  
centiorum.*

60. **H**aud minùs verò exorbitat à veritate, & ab omni sana doctrina, quod hic idem Recentior non semel reperit, & alii etiam non nunquam usurpant: nempe, Summos Pontifices, dum alias opiniones damnare, si benignam sententiam damnabilem esse censuissent, non omisiuros ipsam quoque damnare: maximè, cum non posset de illa sæpè sermo nõ incidere, & occasio peropportuna, ut quando damnaverunt hunc eundem articulum, de quo modò differimus, & alios similes inducetes nimium abusum benignæ probabilis. Igitur, eò ipso, quòd illam non expressè damnarunt, tacitè saltem significare voluerunt, eam esse doctrinam nullà dignam censurâ, sed innoxiam, tutam, & sanam. Tantum igitur abest, ut benigna sententia ex præfatis Decretis Pontificiis concludi possit virtualiter damnata, ut potius ex eisdem concludatur, ab omni nota, & suspitione libera, & implicite saltem approbata.

61. Vulgarem hunc discursum millies audiui; sed ab hominibus levioris notæ, & qui vulgaria quæque sine examine ullo, & suscipiant, & proferant, pro sustinendo suo, quem amant, sed non cognoscunt, Probabilissimo. Miratus verò sum non mediocriter, dum illum in laudato Recentiore, homine non indocto, haud semel iteratum inveni. Porro argumentum hoc nimis absurdum videtur, cum iidem ipsi Pontifices per sua memorata Decreta illud clarè, ac signanter reprobaverint, & consequenter omnem occasionem, omnemque ipsius excusationem præciderint.

62. Notorium est, Alexandrum VII.

VII. in suo priori Decreto damnasse hunc articulum ordine 27. Si *liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Insuper Innocentius XI. in ipsa præfatione Decreti sui signanter, & expresse declarat, intentionis suæ non esse alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare. Quam igitur, post hæc, excusationem habere poterit, qui benignam sententiam ex eo arguerit non esse damnabilem, immò à Sede Apostolica tacite saltem esse approbatam, quòd per memorata Decreta expresse rejecta non sit, aut cum aliis damnatis opinionibus aliquà censurâ notata?

63. Cæterum præscindendo ab his expressis Summorum Pontificum protestationibus, aut declarationibus, quis Theologus cordatus ferò arguere potest, aliquam opinionem moralem esse verè probabilem, tutam, ac sanam, ex eò solum quod à Sede Apostolica patienter tolleretur (etiam per multum temporis), aut expresse non rejiciatur? Nemo profectò ignorat, plurimas opiniones in materia fidei, & morum, post diuturnam earum tolerantiam, damnatas tandem esse, & à fidelium praxi proscriptas, tanquam doctrinas pravas, & noxias. Nemo item audebit affirmare, aliquas opiniones, etiam antiquas, quæ modò permittuntur, & tolerantur, non posse tandem aliquando damnari, & à tota Ecclesia proferibi. Quid ergo? Et illæ ante damnationem, & istæ interim, dum non damnantur, hoc ipso verè sanæ, probabiles, & tute sunt? Hoc ipso tacite approbari censetur ab ipsa Apostolica Sede? Quis dicat? Alioqui Summi Pontifices non nisi falsò poterunt affirmare, illas se ab Ecclesia proscribere, & à fidelium praxi prohibere, eò quòd pravae, ac noxiae moribus Christianis sint, &

animarum salutis perniciose.

64. Enimverò Ecclesia Catholica sinceritatem moralis doctrinæ ardentè quidem amat, & sollicitè semper procurat. Sed zelum habet prudentem, & verè secundum scientiam, quo Magistri divini sui monitis salutaribus informata novit patienter sinere, ut zizania inimici hominis (idest, dæmonis, ut exponitur Math. 13. passim, immò & exposuit Dominus ipse) simul cum ipso tritico crescant, donec tempus advenerit opportunum eradicandi illa, nullo, vel minimo, tritici detrimento. Interim verò quandiu non eradicat, non ideo illa tanquam triticum probat (neque enim potest improbanda probare); sed ex tunc potius triticum in horrea sua tempore suo congregandum decernit, zizania verò in ignem destinat, ac reservat.

65. Ubi per occasionem notanda est, & maximè abservanda, quædam doctrina Doctoris Maximi, optimam reddentis rationem patientiæ, & providentiæ Patris familias in eradicandis zizaniis: *Inter triticum* (inquit), *& zizania, quod appellamus lolium, quandiu herba est, & nec dum calamus venit ad spicam, grâdis similitudo est, & in discernendo nulla, aut difficilis distantia.* Ob id nimirum jussit Pater familias, ut tempus melius expectaretur, ut ex spica, (videlicet ex fructu) appareret clarum discrimen, & fallax evanesceret similitudo. Nihil illustrius, nihil efficacius contra modernum Probabilissimum, aut quod magis confirmet veritatem nostræ sententiæ, discriminèque, quod supra reddidimus nostræ à benigna probabilitate.

66. Urique per zizaniam, & per triticum, intelligi non tantum Ecclesiæ homines bonos, & malos (ut Dominus exposuit), verum etiam doctrinam malam, & bonam, per quam scilicet homines ipsi fiunt boni, vel mali, certum, & obvium est ex sacris interpretibus. En igitur, doctrina quæque moris, si falsa sit re-

Qq 2 ipsa

ipsa, etiam si veræ simillima sit, adeo ut ab illa discerni non possit, non verè triticum, sed zizania est, neque Christum, sed dæmonem habet auctorem, neque probos, sed pravos homines facit, nec aliquando à Domino probatur, aut recipitur, sed cum ipsis pravis hominibus tempore suo projicienda est. Hæc Domini doctrina. Quid igitur dicemus de moralibus opinionibus, quæ cum sint minùs tutæ; non tantùm coram Deo, sed & apud nos, falsæ sunt, vel saltem falsis similes æquæ, aut magis, quàm veris, quales sunt opinioniones æquæ, aut minùs probabiles? Quid denique de sententia benigna omnes opinioniones hujusmodi generaliter approbante, & ut tutam, ac rectam, agendi regulam statuente?

67. Hoc argumentum nobis sufficiens alibi prosequendum leviter hic adumbrasse sufficiat. Et sufficiet opinor ei, qui sincero, & attento animo vim nostræ consequentiæ perpenderit. Quod si Probabilistis non sufficiet, ut aliquando tandem desistant ab irritò suo conatu faciendi homines bonos per doctrinas malas, & falsas, interim dum plura nondamus, audiant saltem hic Augustinum: *Quoniam in doctrina bona, & bonus potest esse, qui audit, & facit, & malus, qui audit, & non facit: in doctrina verò mala, & qui eam veram putat, quanvis ei non obtemperet, malus est, & qui obtemperat, peior est.* Vide, Lector, & confer accurate, quid sit error moralis in Theologia Magni Augustini, & quid in Theologia benigna: nam utra ex illis sit præferenda, consideratione non eget. Sed jam ad propositum nostrum, siquid tamen ab illo digressi sumus.

Nullum igitur possunt Recentiores pro benigna sua sententia probabile argumentum desumere ex eo, quod à Sede Apostolica hucusque tolerata sit, aut expressè non sit damnata; quid enim hoc argumentum probet, affatim, ut existimo, patet ex dictis.

68. Accedit, quod non solum nulla ratione probata sit: immò verò non paucis, nec levibus indicibus compertum est, ipsam Christi Vicariis admodum displicuisse, ut vix indignationis Apostolicæ Sedis evadere, fulmen potuerit, *incertum, quanto tempore permansura esset intacta*, de quo non nihil supra, & mox etiam plura dicemus. Sup. art. 2. §. 1.

69. Tandem præter hæc omnia ex ipsis Pontificiis Decretis, quibus aliæ opinioniones confixæ sunt, rectè concludimus non unico argumento illam esse, saltem virtualiter, positivè quoque damnatam. Et nunc quidem ex damnatione tertiū hujus articuli de praxi tenuis probabilitatis hoc ipsum efficaciter ostendimus. Nam quod damnetur praxis cujusvis opinionis, tenuiter tantùm probabilis generaliter in quacunque materia, & in terminis propriis benignæ probabilitatis, nec alius sit Decreti Pontificii legitimus, ac proprius sensus, solidè, ut reor, monstratum est: nec Recentiores ipsi dissentunt, nec in principiis Probabilistarum potest in quæstionem vocari, ut nuper ex præmissis legitimè deducebamus. Sup. art. præced. §. ult.

## §. III.

*Frustra argumentum contra nos retorquetur.*

70. **V**erùm & hoc argumentum nostrum contra sententiam nostram retorquere molitur prior ille Recentior supra laudatus. Nempè probabiliioritas moralis opinionis, quam nos adstruimus conscientie regulam, admittit etiam magis, & minùs, neque in indivisibili consistit: ergo opinio probabilis in via nostra (idest, probabili contrariâ) potest esse minùs probabilis comparativè ad aliam opinionem in eadem via probabilem.

71. Hinc verò, si quid valet discursus noster, quem contra Recentiores expendebamus, infertur evidens.

Aug. II.  
de Fide, &  
operi. c. 27.

Sup. art. 2.  
§. 2.

deuter, in via quoque nostra necessariò admittendas esse opiniones tenuiter, aut exigue probabiles, quidquid sit, an quæcunque probabilitas nostra sit absolute magna in se, & ex suo genere, vel comparata ad aliam probabilitatem inferioris alterius generis. Vel igitur hæc tenuis probabilitas damnata quoque est; & sic sententia nostra damnationem non fugit: vel si dicatur non esse damnata, eo quod tenuis absolute non sit, sed ex propria sua ratione probabilitas vera, & absolute solida, ac magna; tantundem dicunt Probabilistæ: unde benigna ipsorum sententia hoc saltem argumento nostro non rectè concludetur damnata.

72. Retorsio hæc, prioris argumenti retorsioni similis est, similique æquivocatione laborat. Libuit tamen illam producere, nequid videamur dissimulare, quod Recentiores possint utcunque ad argumentum nostrum reponere.

Breviter ergo dicimus, quod supra jam expositum manet, probabile in nostris principiis nihil aliud esse, quam verum, non quidem scientificè, aut evidenter cognitum, sed opinativè duntaxat, & per iudicium absolute fallibile; non tamen inconstans, ac fluctuans, sed firmum, & quodammodo immobile morali quadam immobilitate: hoc est, post sufficiens veritatis indaginem conceptum citrà omnem inordinatam affectionem ex motivis, vel unice verosimilibus, vel sensibilibus verosimilioribus, & notabiliter præponderantibus oppositæ partis motivis. Unde patet, probabile in via nostra quoad rectum, & substantiam suam, consistere in indivisibili, in ipsa scilicet reali veritate, quæ non admittit magis, & minus.

73. Fatemur quidem fallibilitatem, seu certitudinem imperfectam, quæ affectio quædam est, & modus iudicii probabilis, esse posse majorem, aut minorem: atque adeò ex hoc capite non abnuimus, unam

opinionem probabilem esse aliâ probabiliorem; quia non omnis assensus verus æquali certitudine, aut firmitate, intellectum determinat, & adherere facit objecto; sed majori, aut minori pro ratione motivi magis, vel minus de se fallibilis, magis, vel minus perfecte cogniti. Consequenter non diffitemur, etiam in via nostra inveniri opiniones ex modo suo tenuiter probabiles comparative ad alias probabiliores intra terminos proprios, veræ, ac legitime probabilitatis.

74. Verum quid inde? Profectò praxim hujus, tenuis, sed veræ probabilitatis, nullo probabili fundamento affirmari potest damnata, neque argumentum nostrum contra ipsam aliquam, vel levissimam, vim habet. Utrique probabilitas ista ex se, & ex proprio genere suo, solida, ac vera probabilitas est, ut Theologi omnes Catholici sine dissidio ullo fatentur. Immo Probabilistis Recentioribus propterea tantopere displicet, tanquam regula exacta, & necessaria ad honestè agendum, quia nimium ipsis stricta videtur. Præterea ab ipsa Sede Apostolica videtur non obscure approbata per dānationem sententiæ nimis rigidæ aliquorum Tutoristarum damnantium praxim omnis opinionis probabilis, & exigentium ad honestè operandum iudicium absolute certum, & evidens: quæ sententiā his verbis expressa, *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, est articulus tertius ab Alexandro VIII. damnatus in supra memorato Decreto.

75. Denique (quod, vel unice, sufficit) nemo ex illis Auctoribus, qui docuerunt articulum damnatum de praxi tenuis probabilitatis, loquebatur in sensu nostro, cum nemo illorum esset Antiprobabilista, seu nostræ sententiæ professor, ut pater ex scriptis ipsorum. Quo ergo fundamento credere quis, aut suspicari possit, Decretum Pontificium attingere tenuem hanc nostram probabi-

lita-

litatem? At nulla ex his rationibus, sed oppositæ omnes, procedunt de benigna Recentiorum sententia, ut ostensum à nobis est: igitur sola hæc

ex prædicto Decreto legitimè damnata concluditur, nec argumentum nostrum jure aliquo potest, contra sententiam nostram inflecti.

### CONTROVERSIATERTIA.

Ex eodem Decreto Innocentii XI. dam. tantis secundum articulum de Judice judicare potente secundum opinionem minùs probabilem, validum argumentum conficitur contra Probabilissimum Recentiorum.

**A**rticulus ille damnatus his verbis reperitur expressus, *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Jam, quod novellus Probabilissimus cum istius articuli damnatione, apertè quoque pugnet, multipliciter demonstramus.

### ARTICULUS I.

*Status controversiæ ante Decretum, & origo opinionis hic damnatæ, cum quadam reflexione notanda.*

#### §. I.

*Quid olim de re ista Theologi senserint?*

1. **Q**uæstionem de opinione, qua judex uti debeat in ferenda sententia judiciali, sicut & alias plures quæstiones antiquæ Theologiæ non cognitæ, protulit nova Theologia Recentiorum; vix namque, aut ne vix quidem ante natum modernum Probabilissimum Theologus aliquis dubitaverat, aut in quæstionem unquam adduxerat, utrum judex in dubiis juris, aut facti, in quibus varia utrinque argumenta sunt incertam veritatem reddentia, definitam sententiam ferre posset pro parte minùs apud se verosimili, aut sibi absolutè non vera.

2. Et quis, precor, quæstionem specialem de re ista ferè moveret, nisi in mundum venisset Probabilissimus, cum omnia simul jura, naturale, divinum, & humanum, ubique clament judicis munus esse lites, & dubia exorta decidere per veritatis manifestationem, & jus, quod si-

bi competit, rectè, ac fideliter unicuique tribuendo? Id enim verò ipso rationis lumine persuasum semper firmiter fuit cunctis etiam barbaris gentibus, apud quas nullus judex profiteri non erubesceret, quod in aliqua causa sibi proposita definitam sententiam protulisset, quam veram ipse non existimasset. Id passim Deus in Scripturis suis deposcit ab humanis judicibus, quos etiam severè arguit, & terribiliter sapienter reprehendit, eò quòd in judicio veritatem non teneant. Id demum jus humanum utrumque, Canonicum scilicet, & civile, multis sanctionibus præscribit, ac docet, non quasi novam aliquam legem instituens, sed quasi veritatem omnibus notam, & ipsam naturalem æquitatem appellans.

3. Caterùm, ubi primùm Probabilissimus recens antiquis Theologis pariter inauditum incepit caput attollere, & novum in scholas Catholicas opinandi modum invehere, extemplo pariter caput dubitari, & acriter utrinque contendì de veritate hac, ad id tempus ultrà omnem quæstionem constituta. Et quidem ore me-